



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

68. An liceat minoris emere, anticipata solutione, cum aliquæ res eo modo  
emi solent, vt lanæ, &c. Ex p. 1. tr. 8. res. 22.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76413)

quando non sunt emptores pecunia presenti, rogatur cum mercibus; ac proinde non est attendendum ad hoc, sed ad aliud de presenti. Itaque utriusque probabile mihi videtur. Et hæc omnia docet Dicaillus *loc. cit.* qui etiam optime notat idem dicendum esse de mercibus, quæ solent in magna quantitate à mari asportari, & vendi pecunia credita maiori pretio, quam tunc pecunia numerata venderentur, quia alias non possent vendi sine magno damno domini vendentis. Nam vel multum tempus confumeret si vellet expectare ementes pecunia presenti, vel vilissimo pretio eas deberet vendere iis, qui pecunia numerata emerent, qui pauci sunt.

4. Et pro explicatione huius sententiae, nota duobus modis posse crescere pretium ratione dilatae solutionis. Primum quasi in compensationem illius, & sic aperta esset vltura. Altero vt incrementum pretij solum oriatur ex dilata solutione, tanquam ex occasione, quæ in causa fuit, vt multiplicarentur emptores, ac proinde ex copia emptorum augetur pretium, aut saltem non decreset propter eundem modum vendendi. Si enim illæ merces solum venderentur pecunia numerata, pauci essent emptores, cum tamen sint multi, qui eas emere velint pecunia credita, nec desit Reipublicæ necessitas, sed solum facultas statim soluendi. Hoc ergo modo, & ex hoc capite putat licitum sic vendere maiori pretio. Confirmatur hoc, quia iustum rerum pretium sumendum est ex communi foro; commune autem forum ex maiori copia emptorum in eo modo vendendi. Hæc autem non debent iudicari per solam comparationem ad pauciores, qui vendunt pecunia numerata. Neque enim repugnat ratione diuersi fori esse diuersa pretia, verbi gratia, in emptione numerata pecunia eodem tempore diuersum pretium est, quo venduntur res in subhastatione; & quo venduntur ab aliis ex officio. Ergo idem erit, quando ob necessitatem mercis, & defectum pecuniarum plures sunt qui emunt pecunia credita quam numerata; illi enim faciunt pretium in eo modo emendi, & erit magis commune forum. Ex qua doctrina soluta est, imò cessat ratio oppositæ sententiæ, quæ tota est, vt in eo casu pretium putet crescere ratione solius dilatae solutionis, quod negamus, neque enim ided crescit, sed ratione multitudinis emptorum, quorum copia resultat occasione illius modi vendendi pecunia credita. Et ita hanc sententiam latè docet Molina *disp. 105.* Bañez *in 2. 2. q. 77. a. 4. dub. 9.* & alij.

5. Itaque ex his omnibus patet, non debuisse nostram sententiam, quam ex Emmanuele Sà docui; falsam vocare. Sed aliquando iste Auctor nimis pronus ad iniuriam nota falsitatis opinionem nimis probabilem; sicut fecit in p. 7. lib. 3. c. 1. *disp. 21. q. vlt. 4. n. 507.* vbi falsam vocat opinionem Merendæ, & multorum Doctorum asserentium esse licitum cambium quod vulgò vocatur, *Sopra di se, vel con la ricorsa,* quo campfor facit, vt ex suis pecuniis suis correspondens soluat pro campuario: nam licet ego affirmatiuam sententiam contra Merendam, & alios probabilem existimaui; nempe tale cambium esse licitum; tamè opinionem negatiuam Merendæ damnantem illud tãquam illicitum, puto immeritò à Rocafullo falsam vocari; est enim satis probabilis, & ante factum consulenda. Vtramque igitur opinionem probabilem esse puto, & tam Merendam, quam Rocafull in eius censuram excessisse existimo.

RESOL. LXVIII.

An liceat minoris emere, anticipata solutione, cum aliis res eo modo emi solent, vt lana, &c. Ex p. 1. tr. 8. Ref. 22.

Sup. hoc in Ref. seq. &

§. 1. Negatiuè respondet Valentia *1. 2. disp. 5. q. 20. punct. 2. §. 8.* & alij penes Salam *tr. de emp.*

*dub. 43.* qui affirmatiua sententia citat vndecim Doctores; & talem emptionem meritò, non absolutè, sed ratione aliquarum circumstantiarum ex pluribus defendit, dicendo primò, posse fieri infimo pretio. Secundò, etiã minori pretio, quàm sit infimum iustum, propter periculum non recipiendi merces, aut non sinceræ, aut non statuto tempore, aut non sine lite, & expensis. Tertio, ob lucrum cessans, & damnum emergens ex anticipata solutione. Quarto, quia sic emendo multiplicantur venditores, & sic minuitur pretium. Quintò, quia communis indigentia, & necessitas venditorum, maxime si vltro, & rogando offerant merces, diminuit pretium. Et tandem, putà, si dictæ merces emerentur numerata pecunia, tempore traditionis, vilius venderentur propter earum multitudinem, & venditorum necessitates, quæ in causa essent, vt emptores rogarentur, maxime ad euitandos sumptus in eis conferendis. Et ita etiam ex neotericeis docet Bonacina *de contr. disp. 3. q. 2. punct. 4. n. 20.* & Filliucius *tom. 2. tr. 3. c. 5. n. 102.* quidquid in contrarium asserant Reginaldus, & alij.

RESOL. LXIX.

De emptione Zucchavorum in hoc Regno Sicilie fieri solita.

Et difficultas est, quanto merces vltroneas vilescant; & emptor rogatus à venditore, quanto minus à pretio ordinario possit in emenda merce minuire; an vilescant supradictæ merces pro tertia parte, an pro medietate? Ex p. 1. tr. 8. Ref. 78.

§. 1. Puto probabiliter, dictam emptionem Zucchavorum non esse iniustam, ex multis rationibus; sed præcipuè ex modo vendendi: nam, quando venditor offert, & rogat emptorem, pretium rei decreuit: quia merces vltroneas vilescunt. Ita communitè Doctores. Ioannes Medina *c. de reb. rest. q. 3. n. 3. §. Deinde demus.* Azorius *p. 3. lib. 8. c. 21. q. 6.* Bañez *de inst. q. 77. a. 1. dub. 1. concl. 1.* Ioannes de la Cruz *in direct. p. 1. præcept. 7. q. 3. dub. 1. concl. 1.* Ledesma *in summ. p. 2. tract. 8. c. 3. concl. 6.* Turrianus *tom. 2. disp. 57. dub. 6. n. 5.* Nauarr. *lib. 3. c. 2. dub. 5. n. 40.* Valquez *de rest. c. 5. §. 1. dub. 10. n. 61.* Pitigianus *in 4. sent. tom. 2. dist. 15. quæst. 2. art. 3.* & Doctores vbi infra citandi.

2. Difficultas est verò cognoscere, quanto dictæ merces vltroneas vilescant, & emptor rogatus à venditore, quanto minus à pretio ordinario possit in emenda merce minuire. Multi Doctores asserunt, merces vltroneas vilescere pro tertia parte. Ita Caietan. *in 2. 2. q. 77. a. 1. Lessius lib. 2. c. 21. dub. 4. num. 33.* Salas *tract. de emp. dub. 25. n. 4.* Faustus *in Spec. Confess. disp. 6. q. 10. vlt. ad med. n. 9.* Filliucius *tom. 2. tract. 35. cap. 4. n. 70.* Bonacina *de contr. disp. 4. q. 2. punct. 4. n. 23.* quidquid in contrarium asserat Tannerus *in 2. 2. disp. 4. q. 7. dub. 2. n. 29.* Sed, vt bene obseruat Homobonus *de exam. Eccles. p. 3. tr. 9. cap. 1. q. 1.* merces vltroneas vilescere pro tertia parte, apud omnes in confesso est.

3. Imò aliqui asserunt, dictas vltroneas merces vilescere pro medietate: ita docuit doctissimus Palaius *in summ. Caiet. verb. Emprio. cap. 1. quem postea sequuti sunt Salas, vbi supra. Rebellius p. 2. lib. 9. q. 1. n. 36.* Bartholomæus à S. Fausto *de contr. disp. 6. q. 10. n. 9.* Megala *in 2. 2. lib. 2. c. 6. q. 2. n. 47.* & seq. 4. n. 138. & fuse in *conf. 93. n. 3.* cum aliis.

4. Ex his patet, emptionem Zucchavorum, fieri solitam, anticipata solutione, non esse vlturiam: quia dictæ merces minus iusto pretio emuntur, non propter solutionem anticipatam; hoc enim facere esset vltura; sed emuntur minori pretio ex modo vendendi: nam, cum venditor offerat, & roget emptorem, merces illæ efficiuntur vltroneæ; & eo ipso, quòd vltroneæ sunt, per consequens

Sup. hoc in Ref. 1. & 2.

Sup. hoc in Ref. 77. & seq. Ref. parum rita.

Sup. hoc in Ref. 71. prope nem, & in Ref. 77. vlt. ad med. & in Ref. 78. §. vlt. & in Ref. 144. n.